



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque  
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

II. Qui suspendere, quiue suspendi possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

rin. de suspensione, cap. 9. & indicat Layman. lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Nam esto clerici non sint, sunt personae Ecclesiasticae iurisdictionis Ecclesiasticae capaces. Sed rectius reliqui omnes Doctores esse Gregorio de Valen. tom. 4. disput. 7. q. 1. p. 1. pronunciato 1. Sayro lib. 4. thesauri, cap. 1. num. 16. Suar. dicta sect. 1. num. 5. Coninch. disp. 1. 5. dub. 1. num. 2. & dub. 3. num. 1. 8. Et 2. afferunt solos clericos affici suspensione posse, cum ipsi tantum capaces sint officij, & beneficii Ecclesiastici functiones exercendi, etenim iurisdictione quae Abbatibus commissa est, non est proprie iurisdictione Ecclesiastica; cum non ex ordine Ecclesiastico proveniat; alias suspensionem ab officio violantes, irregularitatem incurrerent, quae transgressoribus suspensionis ab officio indicta est, cuius sententia excommunicat. in 6. & cap. 1. de sententia, & re iudic. eodem lib.

Quoad divisionem attingit triplex est suspensio, alia ab officio, alia a beneficio, alia ab utroque simul. Solum ad utroque suspensionem absolute latam comprehendere suspensionem ab officio, & beneficio, quia non est vnde limitatio accipias, & cur potius de officio, quam de beneficio intelligatur. Vnde docet Henricus. lib. 1. sum. cap. 33. Tolet. lib. 1. cap. 43. num. 7. Aulia 3. p. disp. 2. dub. 1. concl. 2. Suar. disp. 2. 5. sect. 1. num. 9. Coninch. disp. 1. 5. dub. 1. num. 4. Paul. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2. Suspendio quae simul ab officio, & beneficio suspendit appellari debet impliciter totalis, quae vero tantum suspendit ab officio, vel beneficio partialis dici potest Suspendio ab officio si absoluta sit omni spirituali officio tum ordinis, tum iurisdictionis, & Ecclesiasticae administrationis priuat. Partialis vero ex eo dicitur quia aliquam functionem impedit vel ordinis, vel iurisdictionis, ut constat ex cap. sane, el. 2. de officio delegari, & cap. 2. eodem tit. in 6. & ibi Glossa. Idem est de suspensione a beneficio si integra sit priuat. omni illius administratione, & fructuum perceptione: si partialis fuerit priuare potest a certo beneficio, vel illius parte, scilicet ab his, vel illis fructibus percipiendis. Deinde suspensio alia est absoluta, seu abique villa temporis determinatione, alia determinata, seu pro determinato tempore lata, de qua diuisione sunt plures textus in iure. Solum ad utroque suspensionem pro determinato tempore non esse proprie censuram, quia tantum apponitur in penam delicti commissi, ideoque elapso termino pro quo imposita est, cessat abque alia absolute, ut optime notat Tolet. lib. 1. sum. cap. 46. num. 1. Suar. 1. 5. de censur. disp. 2. 5. sect. 1. num. 3. post medium, & disp. 2. 6. sect. 1. num. 1. Idem tradunt Glossa, & Doctores in Clement. 1. de Decimis, verbo donec, & in capite sacro, verbo per mensem, de sententia excommunic. Innocent. & Abbas in cap. cum bona, de arat. & qualis. Secus vero est & Doctores in Clement. 1. de Decimis, verbo donec, & in cap. de suspensione absoluta, quae de perpetua est, ideoque contra indiget absolute, ut cesset. Tandem suspensio alia est a iure, alia est ab homine. De qua diuisione satis disput. 1. huius tractatus diximus.

PUNCTUM II.

Qui suspendere, quive suspendi possint.

- 1. Suspensionem a iure solus summus Pontifex ferre potest.
- 2. Episcopus sine capitulo bene potest suspensionem ferre, etsi spectato iure antiquo contrarium esset dicendum.
- 3. Conditiones requisitae in ferenda suspensionem eadem sunt, quae pro ferenda excommunicatione requiruntur.
- 4. Solus clericus suspendi potest.
- 5. In suspensione a iure generaliter lata, non comprehenditur Episcopus, etiam si consecratus non sit.
- 6. Suspensione generaliter lata aduersus omnes clericos religiosi clerici comprehenduntur.
- 7. Qualiter suspensio in communiter ferri possit.
- 8. Semel suspensus potest iterum suspendi.
- 9. Defunctus capax non est huius censurae, tamen si ob suspensionem praecedentem priuari possit beneficii fructibus.

Suspensionem a iure latam solus iuris conditor ferre. Suspensionem vero ab homine si quae potestatem habet excommunicandi ferre plerumque potest, quia regulariter potestas pro omnibus censuris ferendis committitur, eo quod omnes censurae ad eundem finem referantur, & se mutuo iuuant ad comprimendam rebellionem contumaciam: ut tradit Syluest. verbo suspensio 1. num. 2. Nauarr. cap. 2. 7. num. 1. 59. Sayro lib. 4. thesauri, cap. 2. num. 1. Suar. disp. 2. 8. sect. 1. num. 2. Tolet. lib. 1. cap. 13. Henricus. lib. 1. cap. 35. numero 1. Vgolin. tab. 4. capite 1. Nulla tamen est repugnantia, quin sola potestas suspendendi abque potestate excommunicandi, vel e contra alicui concedatur, cum sint

censurae diuersae: uti notat Suar. dicta sect. 1. numero 2.

Iure antiquo Episcopus sine capitulo suspendere non poterat, iuxta textum in cap. penult. 1. 5. q. 7. & subditur ibi irritam fore sententiam Episcopi, nisi praesentia clericorum firmetur. Hoc tamen decretum affirmat Suar. dicta disp. 2. 8. sect. 1. num. 14. non esse in usu, neque ab vniuersali Ecclesia receptum, fuit enim Concilij provincialis Carthaginen. 4. Postea vero Alexand. III. in cap. 1. de excessib. pralator. mandat ne Episcopus sine iudicio capituli Presbyteros ardeat suspendere, vel Ecclesias eorum interdicare. Hic textus non loquitur de omnibus clericis, sed solum de Presbyteris, quos prohibet suspendere, vel eorum Ecclesias interdicare absque consensu capituli; non tamen irritat suspensionem laram absque tali consensu. Praeterea (ut bene tradit Suar. loco citato, cum communi sententia) textus loquitur de suspensione lata tantum in vindictam delicti commissi, non de suspensione quae est censura, & medicinalis poena. Ego vero addo illam solemnitatem consensu capituli pro ferendis censuris suspensionis, & interdicti aduersus clericos consuetudine abrogatam esse. Videmus enim passim Episcopos absque vilo capituli consensu requisito poenam suspensionis in clericos proferre; ut aduertit Panormit. in dicto cap. 1. & Suar. disp. 2. 8. sect. 1. num. 4. in fine.

Conditiones autem requisitae in ferenda suspensionem sunt eadem quae pro ferenda excommunicatione requiruntur, qualesque explicauimus, cum de censuris in genere sermonem fecimus. Primum namque debet esse clericus. Nam esto Sylest. verbo Abbatissae, & verbo suspensionum. 1. & Henricus lib. 13. de excom. & suspensio. 3. 5. m. 1. censeant Abbatissam suspendere posse clericos Ecclesiarum sibi subditarum. Argum. cap. dilecta de maior. & obediens. Communis tamen sententia, quam sequitur Glossa in dicto cap. dilecta, verbo iurisdictionem. Innocent. & Panormitan. ibi. Vivald. tract. de suspensio. num. 151. Sayro lib. 4. thesauri, cap. 2. num. 9. negat suspensionem ab alio quam a clerico fieri posse, quia est actus iurisdictionis Ecclesiasticae, quae solum clericis conuenire potest; suspensionemque latam ab illa Abbatissa in dicto cap. dilecta, non esse suspensionem propriam, sed prohibitionem. Quod non leuiter colligitur, ex eo quod Pontifex non praecipit Episcopo cui rescriptis, ut suspensionem Abbatissae laram feruere faciat, sed ut per censuram compellat subditos Abbatissae praecipis obedire. Signum ergo est suspensionem ab Abbatissa latam non habuisse rationem censurae, sed solum cuiusdam prohibitionis. Secundo debet iurisdictionem in foro externo habere, comparatione illius quem suspendere intendit ut constat ex his quae diximus disp. 1. Tercio hanc iurisdictionem expeditam debet habere, quare si aliqua censura ligatus exiit nequit suspensionem ferre, non solum licite, sed nec valide, si censura illa denunciata sit: at lectula denunciatione peccabit ferens censuram, nisi sit ad instantiam partis, ut aduertit Stephan. Daulla 3. p. de censur. disp. 4. dub. 1. concl. 3.

Quoad personas vero in quas suspensio ferenda est, necessarium clericum esse debere firmat communis sententia, cum Glossa in cap. quicumque verbo ministros, de sententia excommunicat. in 6. Innocent. in cap. ult. de excessib. pralator. Panormit. in cap. dura saepe num. 10. de crimine falsi. Nauarr. cap. 27. num. 150. & sequentibus. Suar. disput. 2. 8. sect. 2. num. 1. Aulia 3. p. disput. 4. dub. 1. concl. 1. & alij. Etenim cum suspensio necessarium versari debeat circa officium, vel beneficium Ecclesiasticum, quorum laici incapaces existunt, efficitur in solos clericos suspensionem ferri posse. Quod si in Extrauag. de censuris inter communes, & alibi suspenduntur laici a communione Eucharistiae, non feruntur ibi suspensio propria, sed est quaedam pars excommunicationis maioris, quae priuat vlti passiuo sacramentorum.

Dices suspensionem ab officio priuare non solum exercitio ordinis iam obtentis, sed obtinendi, & suspensionem a beneficio priuare fructibus beneficii non solum obtentis, sed etiam obtinendi. Ergo quoad effectum, scilicet beneficii consecutionem, & ordinis receptionem, poterit laicus suspendi siquidem priuari potest, ne beneficium consequatur, neue ordines recipiat? Respondeo suspensionem per se non priuare beneficio, vel ordine acquirendo, sed consecutione quaedam quatenus ex priuatione vltis ordinis habitus nascitur priuario in vltiorem ordinem ascendendi. Praeterea insignitus prima tonsura, capax est ordinis, & beneficii recipiendi, ac proinde ab illis suspendi potest. Secus ante receptionem primae tonsurae, cum illorum incapax existat.

Ex clericis vero quilibet, quacumque dignitate praesulgeat suspendi potest. Sub decreto autem generali suspensionis Episcopi non comprehenduntur; nisi de ipsis fiat expressa mentio, ex cap. quia periculo sum, de sententia excommunicat. in 6. Et idem cauetur de interdicto. Secus est de excommunicationis censura, ut tradit ibi Glossa communiter recepta, teste Nauarr. cap. 27. num. 165.

## Ob quam causam suspensio ferenda sit?

1. Aliquibus placet suspensionem ob culpam alienam fieri posse.
2. Verius est oppositum.
3. Satisse oppositis argumentis.
4. Nequit ferri suspensio, ut communiter fertur ob culpam leuem.

**A**liquibus placet suspensionem ob culpam alienam fieri posse ductis ex eo quod communitate suspensa ab officio, vel beneficio singulares personae etiam in culpabiles suspenduntur: sicuti interdicitur communitate innocentes interdicitur. Secundum in cap. vel non est compos. 14. de temporib. ordinat. puer ordinatus diaconatu anno aetatis suae 13. suspenditur ab officio diaconi vsque ad legitimam aetatem non ob propriam culpam, sed in iniuriam ordinantis. Tertio in cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui Episcopatu renunciauit, cauetur suspensus esse debere ab officio, quousque legitimus Pontifex dispenset, tamen si ignoranter praedictos ordines suscepissent.

Ceterum communis sententia affirmans suspensionem quae proprie poena est, priuans iure quaesito proprio, nullatenus contrahi ob culpam alienam sed ob propriam, vt tractat Nauarr. cap. 27. num. 1. & Henric. lib. 13. cap. 34. num. 1. Suarez. disput. 28. sect. 4. num. 3. Stephan. Dauila 3. part. disp. 3. dub. 2. conclus. 2. Sauch. lib. 9. disp. 3. num. 9. Coninch. disputat. 3. dub. 3. Galpar Hurtado tract. de suspensio. diffinit. 9. Paul. Layman. lib. 1. tract. 5. cap. 9. part. 3. Et colligitur ex cap. satis peruersum. 56. dist. & ex cap. 2. de constitutio. b. ius. Rem quae culpa caret in damnium vocare non conuenit. Et in cap. de his quae sunt in m. ore parte capituli, vbi dicitur peccata suos auctores tenere debent, neque poena est vterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente, quia iniquum est innocentem poenas nocentis debitas sustinere.

Neque argumenta opposita videntur. Ad primum concedo suspensa communitate suspendi tam nocentes, quam innocentes illius, non quidem quoad se, & secundum munus quod singuli, vt personae particulares exercere possunt, sed tantum quoad actiones totius communitatis quae deliquit, & cuius ipsi sunt membra. Quod non est singulares communitatis puniri, sed communitatem ipsam delinquentem. Neque in interdicitio innocentes puniuntur, sed Ecclesia iustus ob causas sua beneficia, & officia subtrahit tam nocentibus, quam innocentibus. Ad secundum respondeo illam non esse propriam poenam, & censuram, sed quandam prohibitionem, quae ad irregularitatem reducit ob improportionem, & inhabilitatem quam quis habet cum officio ordinis exercendo ante aetatem legitimam, cuius deest, & retentum in dicta prohibitionem consultur. Quapropter Panormitan. in dicto cap. non est compos. num. 4. distinguit duplicem suspensionem aliam ob defectum, aliam ob crimen, & suspensionem: ob defectum affirmat non esse proprie censuram, neque ob illius violationem irregularitatem incurri. Secus vero de suspensione ob crimen contrahit. Sicuti tradit Domin. in cap. Apozolica. 56. dist. Couarr. Clement. si furiosus. 1. §. 1. num. 4. Salcedo, pract. cap. 26. lit. B. Suarez. disput. 28. sect. 4. num. 5. Ad tertium respondeo sic ordinatum manere suspensum, seu impeditum exequi officium ordinis recepti quousque Episcopus delectat ignoranter suscepisse ordinem ab eo qui Episcopatu renunciauit, & vsque ad talem declarationem ordinatus dici potest suspensus non suspensione propria, quae sit censura, sed prohibitionem, & praecipio, quia indiget purgatione ob praesumptionem criminis. Quae purgatione facta legitimus Praelatus declarat non esse suspensum, & ratione huius declarationis dicitur Praelatus dispensare, non quia proprie dispenset, sed quia ea declaratione facta relinquit ordinato libera facultas ordinem susceptum exercendi. Secundum respondeo ob delictum ordinantis, & in illius iniuriam, & confusionem posse prohiberi sic ordinatum exequi proprium officium. Argumentum non est compos. de temporib. ordinat. & cap. decernimus. 16. qu. 7. vt inde aperte colligatur quantum deliquit ordinans, cum necesse sit ob eius culpam ordinatum ab officio remoueri.

Sed an ob culpam leuem suspensio iniungi possit? Non conueniant Doctores. Nam Caietan. in sum. verbo suspensio. Armilla eodem in princ. Nauarr. cap. 27. num. 1. & 159. & 165. Medina in sum. lib. 1. cap. 11. §. 8. Henric. lib. 13. cap. 34. num. 1. Auila 3. part. disp. 3. dub. 3. conclus. 1. affirmant venialem culpam sufficere; quia haec sufficit ad excommunicationem minorem, quae videtur grauior poena, quam suspensio, cum priuet maioribus bonis scilicet sacramentorum vijs & receptione. Ceterum si de suspensione loquamur, vt communiter fertur, neque ad iudice ob leuem culpam iniungitur, neque in iure imposta est: vt bene docet Sorus in 4. d. 2. qu. 3. art. 1. col. 2.

Sed an Episcopi electi, & confirmati, sed non consecrati comprehendantur; difficultate non caret: eo quod his Episcopis non competat Episcopale munus exercere, quae fuit ratio eximendi a sententia generali suspensionis, & interdicti Episcopos. Adde neminem dici proprie Episcopum quousque consecratus sit, sicuti nec sacerdos, quousque presbyteratus ordine sit insignitus, tamen ad presbyteratum fuerit approbatus. Sed verius est quod docet Suarez. disp. 28. sect. 2. num. 7. Paul. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. part. 3. cap. 2. Sayrus lib. 4. cap. 12. num. 1. & seqq. Galpar Hurtado tract. de suspensione, difficult. 9. num. 23. Henric. lib. 13. cap. 34. num. 2. Episcopum electum, & confirmatum, tamen consecratus non sit praedicto exemptionis privilegio gaudere, siquidem alia privilegia concessa Episcopis ad confirmatum, & non consecratum extenduntur; vti est privilegium de eligendo confessorum, cap. vlt. de poenitent. & remissionib. & privilegium altaris viatici, cap. fin. de Priuilegiis in 6. Praeterquam quod privilegia concessa a Principe, & maxime inserta in iure communi, late sunt interpretanda. Neque ratio dubitandi vrget, quia illa ratio exercendi officium Episcopale solum fuit motiua, & impulsua ad privilegij concessionem, non tamen fuit aequata, & finalis concessionis. Haec enim causa praecipua est dignitas Episcopalis qua gaudet Episcopos nouum consecratus. Argum. cap. si compromissarius, de Electione in 6. vbi in sententia generali suspensionis a beneficio tantum non comprehenditur Episcopus, esto per illam suspensionem non priuatur ab executione Episcopalis officij. Quinimo hoc privilegium extendunt Sayrus, Henric. Layman. Hurtado locus allegatis ad Cardinales ob eorum excellentem dignitatem, ob quam privilegia Episcopis concessa, censentur & ipsis concedi.

6. Secundo est dubium, an sub suspensione generaliter lata aduersus omnes clericos, religiosi comprehendantur? Et quidem si prima tonsura initiati non sunt, non comprehenduntur, quia non sunt clerici, esto aliquo modo personae Ecclesiasticae occupentur, iuxta se, ideoque in Clem. de vita, & honestate clericor. distinguuntur clerici a religiosi. Et si religiosi prima tonsura initiati fuerint, etsi aliquibus placeat sub constitutione generaliter lata aduersus clericos non comprehendendi, probabilius oppositum existimo cum Suarez. 1. §. de censur. disp. 28. sect. 2. num. 9. quia nomen clericum indifferens est ad saeculares, & religiosos, vt constat ex dicta Clement. ibi: Saeculares clericis, & religiosi. Ergo suspensio lata aduersus omnes clericos comprehendit religiosos clericos, quia nulla adest ratio, ob quam eximantur.

7. Tertio est dubium, qua ratione suspensio in communitatem feratur; Possit communitatem suspendi quatenus communitas est ab officio conferendi beneficia constat ex cap. unico, Ne sede vacante in 6. & ex cap. Romana, cap. si sententia, de sententia excommunicat. in 6. Quod caput esto loquatur de interdico, ad suspensionem extendi debet, quia eadem est ratio, vti traditur in Trident. sess. 24. cap. 16. de reformat. vbi capitulum Sede vacante non constituitur oeconomicum, & vicarium tempore, & modo ibi praescripto, priuatur facultate constituendi illos ministros, quod est ab illo munere pro illa vice suspendi. Secundo suspendi capitulum potest ab officio, & exercitio ordinis, ne scilicet Sede vacante confessorum creet, Episcopos vocet ad ordines conferendos, quae sunt munia capitulo competentia. Tertio potest suspendi tam capitulum Ecclesiarum, quam monasteriorum a beneficio; vt colligitur ex cap. qui quam de electione in 6. & ex Extrauag. 1. de electione, quae suspensio priuatur capitulum fructibus beneficij, & impedit ne suos faciat. Si vero sit suspensio ab officio, priuatur vlti iurisdictionis, & impedit postea denunciatio, ne sint validi actus a suspensio exorati. Quarto suspendi capitulum potest, non quatenus communitas est, sed quoad singulares personas, quae culpabiles inueniantur, vt habetur expressè in cap. quia sap. de electione in 6. vbi singulares personae bona Praelati defuncti, vel ipsius Sedis occupantes, & inter se diuidentes suspensioni ab officio, & beneficiis quibuscumque subiciuntur, quousque restituerint quidquid de bonis perceperint supra dictis.

8. Ad haec reducitur, an semel suspensus possit iterum suspendi? Et certum est posse non solum quando suspensiones sunt diuersae, sed etiam quando sunt eiusdem rationis, si multiplicentur causae, & tituli, vt de excommunicatione diximus.

9. Defunctus vero capax non est huius censurae, sicut neque excommunicationis. Verum qua ratione priuari potest Ecclesiastica sepultura ob excommunicationem praecedentem, sic priuari potest fructibus beneficij, quibus post mortem frui deberet, propter suspensionem in vita contractam; quod nihil aliud est quam effectum suspensionis, vel excommunicationis post mortem extendi.